

SOPHILIPPVS ME/ LANTHON LECTORI S.



On mihi si linguae centum sint, oraç̄ cen-
tum, enumerare possem, quām multis in
rebus usus sit numerorum. Et ita sunt in
conspectu atç̄ obuiæ utilitates non solum
numerorū, sed etiam artis, quæ longas & intricatas ra-
tiones mirabili dexteritate subducit & explicat, ut ne-
minē quālibet hebetem esse existimē, qui nō & nume-
ros miret & de arte ipsa præclare sentiat. Quare si pro-
lixū encomiū de his utilitatibus instituerem, perinde
facerem, ut si accenderē, quēadmodum Græci dicūt,
ἐν τῇ μεσημβρίᾳ λυχνόν. Sed hominis studiosi est intelli-
gere, quas utilitates p̄prie afferat Arithmeticā his, qui
solidā & perfectam doctrinā in cæteris philosophiæ
partibus explicat. Quòd enim uulgo dicūt, Principiū
esse dimidium totius, id uel maxime in philosophiæ
partibus conspicitur. Vnus est aditus ad præstantiſ-
simam philosophiæ partem De motibus cœlestibus,
Cognitio Arithmetices. Et hæc tantam uim habet, ut
mediocriter exercitatus in Arithmeticā, facile cætera
perspiciat & assequatur. Ita plus quām dimidium to-
tius eius philosophiæ tenet is, qui mediocriter cogno-
uit Arithmeticen. Hanc tantam utilitatem prædicti ge-
nerosis naturis diligenter considerent, ut & exuscitent
animos ad amorem huius artis, & præparent se ad per-
cipi-

α. ij.

cipi-